



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Responsa De Ivre Canonico Præsertim Novissimo**

**Zype, Frans van den**  
**Antverpiæ, M. DC. XLV.**

Ne Sede vacante.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73071)

Ne Sede vacante.

Constitutus Vicarius an habeat iurisdictionem contentiosam?

Constitutus est à Capitulo se- de vacante Officialis pro contentiosis negocijs: postea tres Vicarij sine potestatis declaratione; nisi quod triduo antè declaratum fuerit eos constituendos. cum facultate qualis de iure competit: quæritur an potuerint quendam beneficio priuare; an ille rectè appellarit tanquam pronunciatum sit à non habentibus iurisdictionem contentiosam? Et quidem vbi duo sunt vicarij, alter in contentiosis, alter in voluntarijs; non posse hunc ad alterius terminos progredi proponitur ex ijs quæ tradunt Rebus. in prax. in form. Vic. n. 24 alijque.

1. Vbi duo sunt, vterque intra suos terminos se debet continere.

2. Mens spectanda & consuetudo.

3. Alias omnis illa Vicario competit quæ Capitulo Sede vacante.

4. Et quæ Episcopo.

Constituentis mentem, & loci consuetudinem in discriminanda Officialium & Vicariorum, vbi duo sunt, potestate attendendam existimauit in Consult. can. de appell. conf. 1. quoniam autem vtraque hoc in casu obscura esse dicitur, iamque ante creationem vicariorum declaratum, dandam illis omnem potestatem, quæ de iure competat, videtur commissam illis esse omnem illam, quæ ipsi Capitulo competat Sede vacante. (adeo vt quidam disputent, an aliqua penes Capitulum remaneat? Quaranta in sum. in v. Capitulum sede vac. n. 4.) at qui Capitulum succedit in omnem iurisdictionem Episcopi: c. vlt. & penult. de supplend. negligent. prelat. in 6. Episcopus autem constituendo Officialem, similem aut maiorem potestatem ipse retinet: vt generaliter traditur, quantam quis dat, ipsum retinere. Felinus in c. nouit. n. 8. vers. quod tamen X. de iudic. ex Baldo in l. qui se patris C. vnde liberi. n. 24. Grammat. decis. 30. n. 7. Scaccia de iudic. l. 1. c. 66. n. 5. adedque Capitulum, cum Officialem constituit

in contentiosis, eandem & maiorem retinet: ideoque hi Vicarij potest creati cum facultatibus qualibus iure competunt, generaliter constituti videntur, non specialiter tantum in spiritualibus; sicut Officialis in contentiosis: & consequenter possunt hi vti etiam iurisdictione contentiosa; sicut potest Episcopus, seu Capitulum, quorum vices generaliter in eos transferunt. Sed neque videtur obscura omnino esse Capituli intentio. quippe declarando eam velle potestatem collatam quæ de iure competit; cum illa sit vniuersalis; & intentio etiã Capituli satisfacere Concilij Trid. decreto; 24. c. 16. quod loquitur de vicario generali non in spiritualibus seu voluntarijs tantum: est censendum ad mentem decreti eos constituere voluisse. c. castrum. X. de rescript. & verò quoniam credo, non obstante Officialis & Vicariorum creatione, à Capitulo non esse abdicatam iurisdictionem, & sollicitudinem Episcopalem, in quam illud successit, potestare ad Capitulum interpretationem suæ commissionis præfertim in futurum: sicut specialiter ad Episcopum. Clarè porro mihi videtur agnosci Capituli retenta iurisdictione in Epistola Clementis VIII. apud Quaranta ubi sup. scripta ad Capitulum Neapolitanum, in verbis; date operam, vt cultus Dei & ecclesiastica disciplina obseruetur, & ius ecclesiæ, cuiusque iurisdictionis & libertas vbiq; seruata recta sit. neque vlla ex parte immutetur. denique quicquid ad Dei honorem & animarum utilitatem pertinet, summa inter vos concordia procurat, quam diligentissime. Hodè facit, quod Concilium Trid. s. 24. c. 16. iubet quidem vicarium à Capitulo Sede vacante constitui; non tamen omnem potestatem tribui, nihil Capitulo reseruari: imò dum ibid. liberatos à Capitulo iterum successori ratio. nē dare iubet: non tamen declarat libera-

liberationem nulliter factam esse: item chartas Episcopales non veniat ad Capitulum peruenire; sed mandat successori restitui; & §. 7. c. 10. intra annum vetat; post annum permittit dari dimissorias à Capitulo. ac proinde satis liquere videtur agnoscì in Capitulo iurisdictionem, & si vicarium crearet; vnum, vel plures, & ceconomum pro fructibus, id enim ea ex causa potissimum videtur fieri iustum, quia pœne esset impossibile, vt, si Capitulum per se totum administraret; singulis ecclesiæ necessitatibus; præsertim repentinis, & moram non ferentibus, pro debito posset satisfieri.

De feudis.

RESPONSVM I.

De diuersis dominis vnius feudi, & iure venandi.

**O**fficium villici feudi nomine possidetur; præscribere ergo aduersus fidelitatem non potest. Papon. arrest. l. 12. t. 12. ar. 20. 21. Villicus officarius est, procurator, seu mandatarius. l. urbana familia & ibi Alciat. D. de verb. signif. vnde illud euangelicum; reddere rationem villicationis tue. siue ergo officium sit perpetuum, siue temporale; fines mandati domini sui diligenter debet obseruare. l. 5. D. Mand. & non obsistere domini vtilitati, aut committere feloniam, ex qua etiam hodie vasalli priuantur. Gu. delin. de feud. p. 5. c. 1. post Chas. san. Boer. Molin. Papon. d. l. 13. tit. 13. ar. 9. & seqq. aut debet sponte refutare feudum. l. 2. feud. t. 28. Gadelin. vbi supra c. 2. nec potest vasallos aut emphyteutas Domini sui, suos vasallos aut emphyteutas, aut censuarios facere; aut

censualibus suis libris inscribere, quamquam enim secundus census sine præiudicio primi imponi posse dicatur; Papon. arr. l. 13. t. 2. n. 9. ita vt prior tempore maneat præcipuus; arg. c. constitutus. X. de relig. dom. Papon. vbi supra citans Felin. in c. causam de probat. Ioan. Fabr. in §. adeo Inst. de loc. & cond. tamen quoad iura dominicalia ab alio, quam primo domino recognoscenda, id non est permillum. idem Fabr. in l. cum dubitatur in princ. n. 8. C. de tur. emphyt. & de fidelitatis iuramento disertè decisum est. in c. 22. X. de Turcin.

Dux Brabantiae omne allodium in villa W. contulit monasterio S. B. retinuit tamen in eadem dominium altæ iustitiæ, & in silua H. venationes ferarum: quod teutonice wiltrvanck dicitur: & quod monasterium non poterit exire pascere syluam, nisi de Ducis voluntate: quæsitum est an ad monasterium spectet venatio perdicum; an ad illum cui postea Dux dominium altæ iustitiæ concessit? iure quidem naturali, & ciuili Romano venatio cuique permisa est; ita vt feræ capientium fiant, l. 1. D. de acquir. rer. dom. nec interfit quoad bestias, feras, & volucres vtrum in suo quisque fundo capiat, an in alieno. l. 3. D. eod. §. fera Inst. de rer. diuis. c. ius naturale. dist. 1. l. vn. C. de venat. fer. lib. 11. vt iniuriarum teneatur, qui piscari aut aucupari quem prohibuerit. l. iniuriarum 13. §. ult. D. de iniur. Quamquam in Germania venatio Principibus reseruata ex historijs pridem videatur. vnde ex Crant. hist. eccl. l. 1. c. 2. refert Baronius ad an. 804. Carolum Magnum Osna-burgensi ecclesiæ nemus certis finibus definitum dedisse, cum omni; inquit diploma, integritate in porcis siluestribus, ceruis, auibus, & piscibus; omnique venatione, que sub banno vsuali ad forestum deputatur, ad similitudinem foresti nostri Aquisgrani in silua, Osningi

3.  
An vniu  
feudi plu  
res domi  
esse pos  
sint?

4.  
Venatio ad  
quem per  
tinet?

Villicus va  
salus an  
aduersus  
dominum  
preescribat?

Obstans  
domini vi  
llicat felo  
niam com  
mittit, &  
Feudo po  
tuit priuari,